

CATALOGUS  
//  
**CODICUM HAGIOGRAPHICORUM**

**LATINORUM**

**ANTIQUIORUM SAECULO XVI**

**QUI ASSERVANTUR IN**

**BIBLIOTHECA NATIONALI PARISIENSI**

**EDIDERUNT**

**HAGIOGRAPHI BOLLANDIANI**

—  
**TOMUS II.**  
—

**BRUXELLIS**

**APUD EDITORES**

**RUE DES URSULINES, 14**

**PARISIIS**  
**ALPH. PICARD**  
rue Bonaparte, 82

**BRUXELLIS**  
**O. SCHEPENS**  
rue Treurenberg, 8

1890

*KF*

23° Passio sanctae Euphemiae virginis (fol. 141<sup>r</sup>-151<sup>v</sup>).\*

24° Vita et passio beati Emmerammi martyris, cujus festa \* colitur decimo kalendas octobris (fol. 152<sup>r</sup>-173<sup>r</sup>).

\* sic.

Ed. *Anal. Boll.*, tom. VIII, p. 220-55.

25° Passio sanctae Mariae, quae passa est sub Adriano imperatore in Nicorentium civitate, die pridie kalendas novembris (fol. 173<sup>v</sup>-178<sup>v</sup>).

Ed. *Act. SS.*, ad d. 1 Nov., tom. I, p. 201-6.

26° [Passio sancti Chrysogoni] (fol. 179<sup>r</sup>-179<sup>v</sup>).\*

27° [Passio sanctae Eulaliae] (fol. 180<sup>r</sup>-182<sup>r</sup>).

Ed. ex cod. Brux. 581, *Cat. Brux.*, tom. I, p. 261-63.

28° [Vita sancti Zenonis] (fol. 182-184<sup>v</sup>).

Auctore Coronato, ed. *Act. SS.*, ad d. 12 April., tom. II, p. 70-71, stilo tamen satis diverso.

### CCCXCIX. Codex signatus num. 5594.

Olim « Sancti Benigni Divionensis » (fol. 34<sup>v</sup>), deinde Colbertinus 5463, postea Regius C. 4177. 4.

Foliorum omnino 83, ex pluribus codicibus minoris formae compactus, qui exarati sunt saec. XI (fol. 1-34), saec. XII (fol. 67-83), saec. XIII (fol. 33-58, columnis binis, reliqui vero lineis plenis) et saec. XIV (fol. 59-66).

1° Passio sancti Sigismundi regis et martyris et sociorum ejus, quod est kalendas maii (fol. 1<sup>r</sup>-4<sup>r</sup>).

Ed. *Act. SS.*, ad d. 1 Maii, tom. I, p. 86-87, et *Script. Rer. Merov.*, tom. II, p. 333-40.

2° Vita sancti Apollinaris Valentinensis episcopi, quod est III nonas octobris (fol. 4<sup>r</sup>-8<sup>r</sup>).

Ed. *ibid.*, ad d. 5 Oct., tom. III, p. 58-62.

3° Passio sancti ac beatissimi martyris Gorgonii, quae est v idus septembris (fol. 9<sup>r</sup>-13<sup>r</sup>).

Ed. *ibid.*, ad d. 9 Sept., tom. III p. 340-42. Praeposita est epistola Milonis Mindonensis episcopi, ed. ap. Mabillon, *Act. SS. O. S. B.*, saec. III, part. II, p. 204, num. 5.

4° [De sanctis martyribus Gorgonio et Dorotheo] (fol. 13<sup>r</sup>-19<sup>v</sup>).

Prolixa oratio, habita, ut videtur, in Gorziensi monasterio recurrente sanctorum martyrum annua festivitate; in qua multo verborum ornatu celebrantur sanctorum martyrum certamina secundum Passionem modo citatam et narrationem Eusebii (interprete Rufino), *Hist. eccl.*, lib. VIII, cap. 6.

Inc. *Salvatoris omnipotentiae, fratres dilectissimi, recte a fidelibus ubinam summa cum reverentia conlaudanda est, quae ad suae claritatis laudem simulque honorem universa distinxit opera....*

5° [Inventio capitis S. Joannis Baptistae] (fol. 19<sup>v</sup>-24<sup>v</sup>).

Scilicet a) Ep istola Dionysii, ed. *Act. SS.*, tom. IV Junii, p. 721-22, num. 133-35; b) Relatio Emesanorum, ed. *ibid.*, p. 716-18, num. 113-18; c) Apparitio S. Joannis Marcello presbytero, ed. *ibid.*, p. 724-26, num. 144-48 init. (usque ad verba *cui dixit Stephanus presbyter*).

Sequuntur (fol. 25) hymni duo de S. Radegunde regina (inc. *Mira cunctorum sator... et Ut Christus stemma virginum*).

6° Vita sancti Rigomeri presbyteri et confessoris (fol. 26<sup>r</sup>-34<sup>v</sup>).

Auctore Petro illo monacho Malleacensi, qui Goderanni abbatis jussu circa medium saeculum XI historiam sui coenobii conscripsit (ed. ap. Labbe, *Nov. Bibl. Mss.*, tom. II, p. 222-38; cfr. *Act. SS.*, ad d. 24 Aug., tom. IV, p. 786, num. 15). Is nempe in hujus historiae exordio significat se *vitam actusque venerabilis confessoris Rigomeri ad calcem usque pro posse correxi[sse]*. Atqui Vita Rigomeri, quam exhibet codex noster, eidem Goderanno abbati dicata est (cfr. *infra*, prol., num. 3) et profitetur scriptor (*ibid.*, num. 2) *satius sibi visum esse actus jam praefati patris, olim litteris insertos, expolire seu rem antiquam recenti, ut aiunt, incude renovare*. Attamen asserere non ausim vitam illam antiquiorem, quam prae oculis habuit Petrus, eam ipsam esse quam edidit Joannes Pinius noster (*Act. SS.*, tom. cit., p. 786-88): nam huic certe non convenit quod de illa indicat Petrus, nimirum ipsam tam barbaro stilo conscriptam esse ut necesse fuerit eam *e caeno abjectionis, quam aut inscitia dictantis aut incuria exceptoris incurrit, abstrahere sensumque nimia confusione irretitum elucidare atque propalare*. Crediderim potius et anonymum illum a Pinio prolatum et Petrum hausisse ex communi fonte, Vita scilicet antiquiori, quae adhuc latet. Itaque nec Petri lucubrationem, hactenus ineditam, hic in lucem dare pigebit. Vid. *Append.*

7° [De sancto Huberto] (fol. 35<sup>r</sup>-35<sup>v</sup>).

Superest tantum num. 9 libri primi miraculorum, ed. *Act. SS.*, ad d. 3 Nov., tom. I, p. 822.

8° Passio sanctorum martyrum Victoris et Coronae (fol. 35<sup>v</sup>-41<sup>r</sup>).

Ed. *Act. SS.*, ad d. 14 Maii, tom. III, p. 266-68.

9° Vita sancti Arnulphi martyris Turonicae civitatis  
episcopi (fol. 41<sup>r</sup>-58<sup>v</sup>).

Ed. supra, tom. I, p. 415-28.

10° Vita sancti Severini abbatis [Agaunensis] et con-  
fessoris (fol. 59<sup>r</sup>-66<sup>r</sup>).

Ed. Act. SS., ad d. 11 Febr., tom. II, p. 547-51. In fine haec add. :

*Haec siquidem, ut supra praetulimus, de vita et quibusdam miris acti-  
bus sancti patris Severini secundum exemplar, quod a Fausto presbytero  
edictum fuisse credimus, prolixiore quodammodo stilo transcribere  
decrevimus; eo videlicet jure ut dum mens lectoris inhians longius de-  
tenta fuerit, profundiore sine dubio compunctionis dono cumulari va-  
leat; sed et hoc dignum arbitrantes ut aliquanto diffusius beati viri  
actuum textu[s] propagaretur, ne luculenta piae recordationis insignia  
strictius quam legentis oblectaret affectum comprehensa vide[antur]. Ita-  
que eorum omnium, qui haec lecturi sunt, caritatem obnixè flagitamus,  
ut tardissimus nostrae rusticitatis sermo, licet aures offendat imperitia,  
nullam tentamentis in arte odiosae detractionis scintillam excuscitare  
queat; quin potius quilibet doctus et studiosus lector errata corrigens,  
supervacua radens, commode digestum, siquidem puri affectus benigni-  
tate percipiat, quatenus ex hoc magis caritatis benedictione signetur  
quam celerem reprehensionis furorem, quod absit, praeceps incurrat.*

\* cod.  
prudencia.

11° Passio beatissimae Agathae virginis et martyris,  
quod est die nonarum februariorum (fol. 67<sup>r</sup>-72<sup>r</sup>)\*.

12° Passio sancti Vitali[s] martyris Christi et sancto-  
rum Protasii et Gervasii (fol. 72<sup>r</sup>-75<sup>r</sup>).

Epistola Ambrosii, ed. Act. SS., ad d. 19 Jun., p. 821-22, num. 17-23. Sequitur  
(fol. 75<sup>r</sup>-75<sup>v</sup>) initium epistolae ejusdem Ambrosii ad Marcellam sororem de  
inventione eorundem sanctorum martyrum.

13° De sancto Theodardo archiepiscopo Narbonensi-  
(fol. 76<sup>r</sup>-83<sup>v</sup>).

Ed. Act. SS., ad d. 1 Maii, tom. I, p. 142-56. Initio et fine mutila, inc. *Quam-  
vis etiam in quibusdam codicibus* (num. 50 fin.), desinit vero in verbis *et  
non peccet evidenter* (num. 53 in.).

## Appendix ad cod. 5594.

VITA S. RIGOMERI PRESBYTERI (Cfr. supra, p. 498, 6°).

### Prologus in vita sancti Rigomeri presbyteri et confessoris.

1. Cum dudum apud veteres, uti multimoda eorum monimenta enucleatius pandunt, plerique mortalium exstiterunt humani dumtaxat favoris nimium avidi, quorum pars quidem, quo subtilitate acuti ingenii et compositione cothurni ser- 5 monis non tantum aequaeavorum, verum etiam posterorum, animos oblectaret, negotia antiquitus illustrium fortiter explicita chartis indere decreverunt, alii vero, proprietatem a se commentatae penitus materiae in propatulo evitantes, colicis notis quam plurima bella compacta clam quidem e suo dum polire dispu- 10 tationem molirentur, nonnulla verisimilia addentes, romana effecerunt, ne socor- dia ac desidia contritum redderet hebdomadarum suarum otium, reliqui quoque, fallacibus caducisque saeculi dignitatibus ultro exuti, quo liberius atque expedi- 15 tius ad indagandam illam quam demum sui sequaces dixere philosophiam vacarent, academicum solum jugiter procellarum turbinibus obsitum petivere, quibus libidinosa mens refrenata non tantum simplicis incommutabilisque divi- 20 nitatis omnipotentiam volueri theoriae penna, quin potius humani perennitatem quoquo modo haurirent, ac stili officio propriis auditoribus, haudquaquam gravi ipsi dispendio liberi, promulgarent, cognito quippe excelso omnium rerum prin- 25 cipe, seseque ejus bonitate immortalitate donatos, glaucis ludificationibus corde obnubilati atque fide[i] per caritatem operantis inscii, Deum decenter minime 30 honorarunt veraque pietate coluerunt, nullaque prorsus ad bene beateque vivendum gestu vel actu, saltem energia, nedum exempla, posteris relinquentes, totius carnis viam nudi et miseri ingressi sunt, quisquis pia compassione proximis subvenire captans, quae quisque deificus satelles, non solum camini examinatione ex- 35 cocto auro sed etiam lilio violisve tropice assimilatus, purissimae credulitatis candore peregerit, quo exemplo ipsius longanimitatis, mansuetudinis, sobrietatis, discretionis, castitatis, frugalitatis, puritatis, gravitatis, moderationis atque reli- 40 quarum virtutum decore hebetudo hominum reverberata et concussa aut verbis aut scriptis retulerit, non ut labile vocamen dilatare vel famam sui pauculis grammulis in ora superstitem signatam velit propagare, sed exercitiis praelibatis ad bonae artis 30 studia provocando evehere, carissimo mihi affectu amplectendus merito videtur, quoniam dum os illius non opera hominum, sed Dei in suos operantis eructuat, ad beatae hereditatis florigeram requiem, termino numquam obnoxiam, loquendo auditores inflammat.

2. Haec itaque necum diu multumque pertractans, postquam saepenumero ab 35 aliquibus germana mihi caritate connexis fratrum personis instigatus sum quatinus ex venerandi Domini sacerdotis Rigomeri sacra deportatione seu de mira-

culis ejus intercessionibus creberrime patris saltem annotando scriptitarem, instabilem cunctabundamque mentem, nunc in hoc nunc in illud partientem, vix tandem in sese pro posse contraxi, reputans quod tam caritativa rogantum instantia a conditore forsán luminum principium caperet, sique hanc omnino  
**5** reicerem, debitus ejusdem patris, cujus ad urnam cotidie assisto, neglectus famulatus cum refragatione precum fratrum me in die Domini reum constringeret. Porro autem jam ad digerenda ea quae mens ad haec opportuna praetenderet, post tergum paululum recondito imperitiae pudore, ex integro de eo praesumens cujus ad nutum quondam silex effudit laticem, memet coegeram, cum ab intus  
**10** suggestio hujusmodi emergens innuit, satius esse actus jam praefati patris, olim litteris insertos, e caeno abjectionis, quam aut inscitia dictantis aut incuria exceptoris incurrerunt, abstrahere sensumque nimia confusione irretitum elucidare atque propalare. Ad haec parum perfixo gradu pendulus suspendebam, donec speculo libratae rationis id maxime consonum animadversum est, quoniam quidem  
**15** absurdissimum liquet exitum cujusque rei variis compositionibus redimiri, fronte aditus deformi neglecto. Hinc ergo propensius, factus hilarior, rem antiquam recenti, ut aiunt, incude renovare gestiens, multum commodum legentibus afferre deprehendi, dum ea re praecipue assignabitur victrix sufferentia virginitasve florida, quae utraeque res raro simul reperiuntur, vix interdum habitae retinen-  
**20** tur, dicto citius amittuntur, quo foedere conserventur. Si vero quisquam, quod reor perfacile, hos conatus meos lividis contemplatur ocellis, irrisoris arbitris more subsannando proponat intolerabile fore tantae nobilitatis materiam tantillo homuncio\* impudenter occupare, quem nullus urbanae lepor eloquentiae ab ignobilitate sua aliquando excusserit, attendat me paulo ante fassum fratrum  
**25** prece ac beatissimi viri Rigomeri amore ad hoc propulsum : illis siquidem obsequium, huic certe famulatum debeo, et quamdiu exteriorem interior homo incolo, quin aliquid gratum illis, uttle multis, experiar, mihi jubere recuso. Quod si felleus rancor his minime complanatus grunnire desiverit, altum carmen syllogisticis nodatum plectibus multa per volumina evomat; sit subtilior prosa Lac-  
**30** tantio, historia Hegesippo, versu Homero. Esto : et quid ad nos, si benevoli sociabilis plausus, luridum murmur si aemuli fuerimus ?

**3.** Haec interim necessario superfluis pedetentim latratibus objecta, ceterum vobis, o praesul Domini Goderanne, cui ineptias meas referre soleo, certus quantum de probitatibus cordi vestro assit jubilum, vobis, inquam, has frugum  
**5** mearum perexiles primitias dedico, quatinus excellens prudentia vestra hiantia suppleat, modum excedentia infra congruos limites abdat, opportune, si qua sunt, prolata roborando assignet, quo tanti per sacerdotis manus patri libatae spirituum, liberior exordiar, Rigomeri athletae Christi Dei et Domini nostri meritis ac vestris opitulatus suffragiis, sequens opusculum. **Explicit.**

\* sic.

**Incipiunt capitula.**

- I.** De nativitate ejus, sub quibus regibus fuerit.
- II.** Quod sanctus Innocentius tum Cinomannensis antistes erat et sanctis eo tempore plurima juvamina florentibus subministrabat.
- III.** Quod a pueritia litteris eruditus sit, et presbyter factus verbum Dei prae- 5 dicaverit.
- IIII.** Quod Orifanum straverit, et multum ibi populum ad fidem Christi adduxerit.
- V.** De matre beatae Thenestinae sanata.
- VI.** De conversione ejusdem beatae Thenestinae virginis. 10
- VII.** Quod ab ea infamatus, et ante regem accusatus, et flamma duobus cereis caelitus impetrata purgatus sit.
- VIII.** Quod postea Thenestina beata velata sit.
- VIIII.** Quod beatus Rigomerus jussu beati Innocentii ecclesiam apud Sulini- cum aedificaverit. 15
- X.** Qualiter ad Christum migraverit.

**Incipit vita ejusdem.**

[I.] Ea igitur tempestate qua paternum imperium suorum assensu procerum Clotharius atque Childebertus aequa inter se lance pensantes diviserunt, quorum alter Radegundem gloriosam ac toto paene orbi famosam, nec tantum fragili 20 muliebri verum etiam virili sexui juste imitandam, sortitus, regio sibi more copulavit, sequens vero Wltrogodam, multimoda, ut fertur, probitate vallatam, uxorem duxit, in suburbio Cenomannicae urbis, praediolo Condita Saugonensi vocitato, clarissimis dignitate et, quod pluris est, religione natalibus, fertili ceu e cespite rubens rosula, Rigomerus, Domini futurus agonitheta, feliciter emicuit. 25 Genitores vero ipsius, diu praeoptata sobole Dei summi munere ditati, admodum gratulabundi, sacris primum lavacris expiari, deinde pari voto eodemque decreto regi regum Altithrono statuunt promptius consecrari. Quod quonam pacto sit factum, auctore vero et uno Deo, sequentia liquido perdocebunt.

**II.** Cathedrae sane sanctae matris Cenomannensis ecclesiae sub eodem rotatili 30 annorum cardine sanctae recordationis Innocentius praesidebat antistes; qui adeo vocabulo opere consonabat suo ut clementissima pietate, utcumque sibi peculiariter caelitus attributa, omnium paene sub se degentium affectus couniret et vota. Et licet cunctis haberetur carissimus et affabilis, tamen quodam privilegio, apostolici exsecutor oraculi, aderat sanae fidei domesticis. Siquidem beato Kari- 35 lepho in quodam diocesis suae loco supra amnis rivulum, Anisola praenomina- tum, quo coenobium instrueret amplissima juvamina concessit; nihilominus vero venerando Avito plurimum ammiculum indulsit utque aedificandae cellulae desiderium compleret compulit. Hi porro viri, Avitus videlicet et Karilephus,

Maximini sanctissimi, qui super Ligeris alveum haud procul ab altis moenibus Aurelianensis oppidi Christo Domino gratanter valde militavit, disciplinis a pueritia traduntur edocti; diutinaque praeceptoris sui sollertia examinati, anachoreticum exercitium, ipsius opitulati orationibus, quo liberius divinae speculationis quiete perfrui valerent, arripuerunt, solo haerentes Deo suique curam fastidio habentes cum fallaci mundo. Verum non istis tantummodo bonae spei jam dictus Innocentius opportuna subsidia inferebat, sed etiam cuidam multae simplicitatis Dei servo, Launomaro nominato, monachili schema decorato, in vico quodam subter fluente latice, [qui] Curbio agnominatus est, coenobium condidit atque largissime, quo promptius tum practicos tum theoreticos fructus metere valeret, multis opum copiis nobilitavit. His omnibus divae memoriae Childebertus augustus, cujus ditioni regio tum illa, fratre Clothario citeriore tenente Gallia, subjacebat, assensum praebat piisque talium conatibus festivo corde alludebat. Et recte quidem: ore profecto nostri purpurati exterius, paupere quoque ac egeno interius, sancitum est quod honor regis iudicium diligit, et quidam inter sui temporis primos permaximus philosophus beatas fore respublicas, si eas vel sapientes regerent vel eorum rectores sapientiae studerent, astipulavit. Ergo augustus iste, ut mihi videre videor, hoc uno facto utrique sententiae affuit: quoniam dum sanctis beati Dei suffragium intulit, iudicium dilexit, et hoc agendo quod ad beatitudinem tendit, rempublicam beatitudine suo regimine insignivit. Ut autem a digressionem pedem contrahamus, dum haec aguntur, Rigomerus, Jesu Christi famulus, eo in loco ea qua dictum est serie adoritur.

\* sic.

\* sic.

III. Decursis quoque puellaribus annis Launildo sacerdoti mancipatur, quo ecclesiasticis exercitiis vigilanter imbueretur. Admotus itaque ad virum Dei puerulus, atque ex mitissima qualitate infantilis formulae non parvi boni participium sibi inesse conjectatus, ignita quippe caritas sui ardoris scintillam celerrime odoratur, blande nimium ipsius complexus indolem: *Mi, inquit, nate, tegmine alarum Dei mei, ad quem confugii initium arripere videris, prolectus, ad beatam immortalitatis solidissimum pervenire queas litus.* Haec certe famina ubi heros silentio suppressit, priscos notarum characteres ei exhibuit; quos mira facilitate, utpote Deo fecunda, mens, licet tenera aetate, exhaustit. Nimirum dehinc ad psalmicinis deificos cantus atque ad reliqua studia memoriae mandanda appulsus, quam compendiose non modo coaevos, quin potius eos qui se autumabant sciolos, arduis, ut complexive dicam, totius scientiae fastigiis sit supergressus, ad explicandum penuria nostri deficit sensus. Nec immerito: sicut enim litteris cecinere suis hi quos jam retinet curia caelestis, nulla condicione Spiritus sancti munus potest arceri; quod qui obtinere valuerit, vere liber erit. Ejus est enim qui habet Spiritum Christi, cujus ante notitiam legale opprimens jugum prorsus emarcuit, quo micante grata felicitas servitutis Dei per gratiam redemptionis Jesu Christi illuxit. Hujus nempe disciplinae vigore Rigomerus venerabilis ab imis evulsus, ad usque presbyteratus amoenum gradatim decus enituit; quo ita monitis salubribus parendo potiri, more recentis tironis audaci



animo multas catervas hostium prosternentis, meruit ut circumquaque omni aetali, omni professioni consona verbi Dei jugiter intorqueret jacula, quorum acri actu et fideles expergiscerentur et increduli concuterentur. Et his quidem qui jam beneficentiae primordia incoharant illud propheticum : *Ite de virtute in virtutem* ingerebat, *quoad visionem Dei deorum praetendatis in speculatione visionis pacis, fraterna dilectione conglutinati in eum* ; quodque redoleret illud dolentis Job : *Visitans speciem tuam non peccabis* ; quod et apostoli Pauli : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* ; et evangelicum Salvatoris : *Quaecumque vullis ut faciant vobis homines, haud dubium quin bona, eadem et vos facite illis* : videlicet ut sese quilibet ex suis affectionibus pensans, eo animo inopi ac desolato occurreret quo miseriae propriae ab alio succurrere anhelaret, tumque speciem sui inviseret dum proximi onera bajularet, nihilominus et homini id quod ab homine sitibunde optaret impertiret. Eis autem quos tetra fuligo pravitatis in volutabro sordium involverat, quin disto[r]ta malitiae suae desererent compita intentabat : alioquin, nisi, dum arrideret eis volubile ac breve tempus, ad paenitentiae confugerent medicamina, imminere sibi diem Domini, quam praescius velocem, amaram, nebulosam, turbine vel clangore atque caligine completam indicat propheta, in qua, ubi regali suo diademate decoraverit justos iudicis gratissima misericordia, demum iniquos petulantiaque infectos multabit ipsius justitia. His autem atque hujusmodi studiis Rigomero suo intento summae et incomprehensibili majestati divinae, ne quis saltem perversus mellitis ejus eloquiis quid fucatae vanitatis mente suspicaretur, adeo pervalidam curationis gratiam concedere placuit, ut quisquis, cujuscumque generis morbo elisus esset, usus benedictione et contrectatione ejus, incolumis ad sua remearet. Consecratum porro secum Deum, non surdus Jacobi apostoli auditor, ferebat, quo in ejusmodi negotiis ubiubi uteretur, hoc modo credens oculere posse coram omnibus non per se explicitas virtutes, quoniam nullatenus gloriam suam vulgi adulationibus venditare, sed potius archivis bonae conscientiae abdere malebat, corde retenta veritate, quae perhibet alumnis suis ne suam faciant justitiam coram hominibus ut videantur ab eis, quia quod altum sit hominibus, prorsus abominatur Deus.

III. Itaque eodem tempore haud procul ab eo vico, quo idem deicola morabatur, devius rusticae plebis error antiquissimum sibi idolum, quod citabatur ac si pro reverentia Orifanum, recensendo dedicarat, cui, ut talibus moris est, fumosa saepissime cruentave mactabat libamina atque caenulenta donaria. Quod ubi Domini vexillifer advertit, condolens infelici admodum vulgo, qui in facie Dei sui terga, versuti serpentis dolo illectus, emiserat, quique falsa pro veris colendo theatra festinabat ad exitia, metuens plurimum quod, si huic tacendo annueret nec acutas potentis sagittas, scripturarum scilicet divinarum, terrores ei intimaret (scriptum quidem a quodam nostro, cui ipsa vis deifica post densissimam filii hominis iterationem inculcarat, non ignorabat : *Nisi iniquo iniquitatem suam allegaveris, discrimine cruoris ejus carere nequibus*), ad praelium accensis

animis, aliquibus fratribus accitis sui causam detegit angoris, illoque se praetendere velle asserit, dominicae confusus sufflamine virtutis. Porro autem illis obnixae probantibus seque commilitones profitentibus, locum vir Dei petit intrepidus. Nutu quoque, ut remur, Christi multa utriusque sexus, virorum scilicet ac mulierum, copia eo die ac si sollemnizatura simulacro confluxerat. Cujus se in medio Rigomerus inserens : *O, inquit, pro pudor! cur ad injuriam cunctipotentis Dei operi ad libitum artificis inaginato cervicem flecteris, corpus prostrernis, regalis imago certa? Cur, quaeso, fictilem effigiem, totius sensus ac rationis expertem, verbotenus saltem personas Deum, quae, ut re ipsa*

10 *scitur, debilitati penitus fit obnoxia ni tua sit industria defensata?* Ad haec efferae crudelitatis dudum gens mox conglobata, talibusque carminibus caelestis medicinae periti praecantata ac subacta, quid sibi restaret agendum supplex efflagitat. Respirans vero paulisper dulciloquus disputator, ubi multitudinem deifica aspiratione odoratur respersam, coeptum jam gravior repetit alloquium,

15 multiplicique dogmate Christi et Ecclesiae plane nimium evangelizat sacramentum, assignans quo condicionis loro stringi debeat qui se dominico corpori mancipare deliberaverit membrum. Quid multa? Ubi scelerum suorum in sermonibus Rigomeri sanctissimi, ut ita dixerim, picturam prospicit, delusamque se versipellis hostis dolo, dum sabaea daemone qui in fano latitabat tura accenderet, sentit,

20 concio tota resolvitur in luctum, maestitudinemque non ferens, pari conspirationis voto, tamquam necis suae incentorem interemptura evolat ad delubrum, atque mille convicia evomens, fanum turpiter quidem, uti decebat, impellit ad solum particulatimque concisum dispergit in gyrum; sicque salutis propriae adit magistrum, errori suo salubre indulgere implorat antidotum. Cui belliger Domini

25 admodum alacer opportuna paenitudinis designat spatium; nec multo post diligenter instrumentis fidei cameratam baptismate sacrosancto eluit ac in thesauris Ecclesiae inducit. At recens triticum Dei a paleis secretum, hortante Rigomero suo, multae pulchritudinis basilicam construit; ordinataque inibi Domini clientela, retrogradu calle repedit ad propria.

30 **V.** Interea quaedam et generis et dignitatis nobilitate vernans matrona, Truda cognominata, cui tantummodo inerat unica, de qua suo loco paucis dicemus, nata, gravis incommodi vexatione valde tribulabatur, adeo ut de sui corpusculi relevatione omnino spes abesset. Sanctitate viri fama volitante comperta, legatione fungi quendam e suis industrium ad eum cum multa obsecratione dirigit,

35 quo ad se sacerdos reverendus accedere non dedignaret mortique paene imminenti solamen solita pietate praetenderet. Nec cunctatus ille, quippe caritate ac clementia ditissimus, aegram invisere, recolens scriptum viduas et pupillos in tribulatione eorum debere visitare, Dominum quoque his qui tribulato sunt corde juxta fore. Extemplo ergo ei accedens, primum verbis salutaris sale conditis

40 demulcet; deinde, ne ullo se maerore pro his quae sibi a justo inferrentur iudice ad meliorationem vitae labefactaret; postremo infert ut peccata sua elemosynis redimeret ac gazas sibi divinitus largissime praestitas, juxta Altissimi praecepta,

egenis propensius spargeret : sicuti enim latex ignem, ita alimonia pauperi concessa scelerum obruit molem. Cujus cum suasionibus mulier sapiens gratanter annueret eisque pro posse obsecundare profiteretur, solita sacerdos arma corripens, humo provolvitur et piis votis summi dulcedinem opificis imprecatur, quo languidae suae se benignitati inclinanti auxiliari, nec tantum cadaveri verum <sup>5</sup> etiam imagini suae, animae scilicet, priscum salutis robur redintegrare dignaretur. His ita peroratis, in pedes erigitur atque purificati olei liquore omnes liniens artus, fugato ex integro morbo, dicto citius sititae incolumitati aegra repraesentatur, atque in Domini laudibus cuncti spectantes accenduntur. Laudantum \* porro choreis filia ejusdem feminae, Thenestina dicta, de qua paulo superius paucis <sup>10</sup> absolvere promissimus, intererat, quam jam pridem genitrix ejus cuidam regis optimati, felicitum genitorum sanguine creti\*, desponsarat, attentius collocans animo quaecumque obtutibus auribusve colligebat.

VI. Tanti itaque stuporis parum perstreptu sedato, opportune puella audiens Rigomerum beatum, admodum ejus dictis oblectari fatetur, formulam vero conversationis sibi pernecessariam ab eo obnixae praestolari confitetur. At moderatissimus sacer, quamquam paratus esset omni poscenti se rationem pendere de fide ac spe quae in Deo est, volens tamen probare spiritum ipsius an ex Deo foret, infantulam adhuc eam ingeminat, matris potius ad libitum virili thoro uti oportere, sublime aliquod ad propositum aspirare posse denegat. Verum virginei fortitudo decoris, quam suis mitissimis amplexibus praeviderat virgo agnus : *Adeo*, inquit, *sancte, pomposum hunc mundum, omniaque quae in eo mortales fallunt amplius quam quid perennis emolumenti praebeant, reicio funditus, ut ipsi etiam sponso renuntiaverim omnino, quem mihi providisse putarat amor maternus*. Rigomerus nempe beatus, tantae professionis gaudio <sup>30</sup> gavisus, quippe qui scriptum legerat : *Laetare, sterilis, quae non paris, erumpe et clama quae non parturis, quoniam plures desertae filii quam ejus quae sub viro gemit*, auspicio quodam eorum e numero illam praesagans qui virgines sequuntur agnum quocumque ierit quique sine macula sunt ante thronum Dei : *O mi, ait, filiola, si vere ea, quae tibi secundum desideria erroris vivendo fuerant lucra, reris, uti fassa es, propter Christum Dominum et Deum nostrum detrimenta, quae suis spondeat amicis is quem amare, ambire, esurire, sitire, contemplari vera est vita, diligenter auscultando mente colloca*. Atqui quodam in loco : *« Vos, inquit, amici mei estis, si feceritis quae praecipio vobis »*. Alias vero quid amicis suis pollicitus sit <sup>35</sup> dilucidans : *« Qui omiserit, ait, patrem aut matrem cunctaque quae possidere potuerit, secutus atque me fuerit, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit »*. Porro autem, ut omnibus de se gaudere captantibus indicaret quam infatigabiliter obsequi congruat jussis ejus : *« Nemo, inquit, mittit manum ad aratrum et aspexerit retro, qui aptus sit Dei regno »*. <sup>40</sup> Paulus sane; hoc ipsum definiens : *« Nullus, inquit, luctator regalibus sertis donabitur ni certator legitimus comprobetur »*. Haec evangelica et

*apostolica sunt. Jam si uniat tam arduum, ad ludum scande; si displi-*  
*cet, cede.* Igitur cum ad haec experienda, Domini confisa sufflamine, Thenestina  
 paratam se profiteretur, atque dehinc diatim sacra collatio ventilata ad invicem  
 abunde sat agigaretur, humanae salutis hostis teterrimus, cum a cordium aditibus  
 5 eorum cerneret exulare sese penitus, facibus invidiae accensus, veteriosa ad  
 molimina retorquens opaca tela, bellum immittere festinat saltem forinsecus, quo  
 sancta societas altaque caritas tepesceret in Christi bellatoribus. Maledicis nam-  
 que ac perditis mox suggerendo ingessit hominibus, admodum refragari religioni  
 puberem puellam, spreto conjugii dote, omni obsequio ignoto clericello parere,  
 10 praesertim cum divinae imperarent lineae adolescentiores nubere, filios pro-  
 creare, matres fa[m]ilias esse. At ubi hujus zelotypii scelus a secreto paulatim  
 dictantium in publico raptim prosilivit, videres inertes, falsiloquos, decolores,  
 dentibus strictis, frementibus labiis prae immaturo furore, hac illaeque nugarum  
 phaleramenta dispergere, virumque beatum tanti facinoris auctorem cavillari.  
 15 Nec hoc tantummodo suae malitiae suffecerat; quin potius Severum, praefatae  
 virginis sponsum, ita quippe vocabatur, adeunt, tantoque angore percellunt, ad-  
 dentes quod nisi his machinamentis sagaciter obviare maturaret, amore perop-  
 tatae uxoris cunctique patrimonii in brevi careret. Eorum ergo delationibus,  
 utpote totus libidine flagrans, nimium lacessitus, primatibus atque palatinis pro-  
 20 prii, ut credebat, infortunii eventum intentat, quidque sibi consultius agendum  
 sit ut decernant remota mora debacchando efflagitat. Tum siquidem nutu nobi-  
 lium una cum eo illo regius miles dirigitur, quo facilius an hujusmodi fuerit, uti  
 infelicitas ea divulgata est, detegatur. Citato quoque itinere ubi ad vicum quo  
 Jesu Christi pauperes excubabant ventum est, ac si furciferi trahuntur, dehone-  
 25 stantur, tandem fidis assignati custodibus, principis ad usque Childeberti prae-  
 sentiam inreverenter impelluntur, qui paulo ante eo in loco advenerat qui Pala-  
 tiolus vocitatur, multo milite multaue plebis frequentia constipatus.

VII. Interea praetaxatus innubae virginis sponsus Severus, querulo ore furi-  
 bunda convicia in aethera spargens, irrumpit; cujus ad clamores utraque citius  
 30 omnis confluit aetas, avida haurire oculis quo foedere lis instigata dirimeretur.  
 Tum spectatores isti ista, illi illa frivola jacentes, gregale murmur dum fa-  
 ciunt: Vos, inquit Severus, o regalis claritatis iudices egregii, omnipotentis  
 Dei futurum examen vobis opponens appello. Non propriae infamiae notam, verum commune discrimen mente perpendite; et ne jugalis  
 35 amor ab his qui sacerdotio specietenus palliantur, unde legitimae pro-  
 pagasse creduntur soboles, furentur puniendo concludite. At uterque Jesu  
 Christi miles, verborum missilibus atque flagellis opposito longanimitatis um-  
 bone, ad requiem nitidis conscientiae, quo verbum editur verum, secesserant,  
 facti ceu vir non audiens atque in ore redargutiones non habens, exspectantes  
 40 eum qui munire novit suos a pusillanimitate spiritus et tempestate, quique erudit  
 eos super jumenta terrae et praebet carmina in nocte. Igitur imperitante rerum  
 domino, utrimque perplexa multitudinis declamatio alto sub silentio sepelitur;

\* sic.

Rigomerus quoque causas ut peroret, excusando an detegendo, tanti flagitii exhortatus est. Porro ille eleganter nimium ac modeste, quippe in quo Spiritus Patris eloquia concinnabat, haudquaquam se viro dempsisse, quo sibi annexeretur ganeorum more, uti delatores criminabantur, optatum matrimonium, prosequitur, immo amatori integritatis inviolatum puellae corpus suis documentis sigillari voluisse 5 fatetur. Hinc demum consequenter augustus : *Jam, inquit, remotis dictorum ambagibus, an sinceræ religioni tali negotio omnino deservieris, liquido dinosci faxo, scilicet si in illa ipsa quæ nostræ majestati detulisti munuscula* (cereolos etenim, ne regium penetral vacui ingrederentur, assumperant) *ignivomam caelitus adipisci merueris flammam.* Ad hæc senior, 10 cor polo infigans, nullo pacto ejus ope diffusus qui de temptatione pios eripere atque auxilium opportune, præcipue in tribulationibus, novit immittere, cunctis speculantibus in arva una cum Christi dilecta Thenestiña omni corpore prosternitur, ejusve levamen pio affectu, qui vota flebilesque pauperum suorum gemitus exaudire consuevit, imprecatur. Nec eum sefellit spes ipsius. Atqui sanctæ illius 15 orationis modum ratum credimus reticere satiusque ex proventu colligere gestæ rei, quoniam quidem adeo pervalida fertur fore devotæ rogationis vis ut idem ipse cui Dei gratuito munere largitur, ubi de illo felici, opulentissimo, excellentissimo, dulcissimo quietissimoque statu miseria sua reverberatus ad se redierit, quid pura mens summo confabulata sit piis votis, piis gemitibus, lenis clamori- 20 bus principi, plene reminisci nequierit. Itaque ut de his quæ patulo exacta sunt tantisper loquamur, breve post spatium, terminato rogatu sancti, assurgunt; dominicoque signo cereolis infuso, cernitur his innasci ignis aethereis demissus ab oris. Tum profecto rex cum omni multitudine, tanto monstro percussus, ac ne se vivum obsorberet tellus dehiscens veritus, eo quod Christi alumnos calu- 25 mniatus sit reproborum insectationibus, regia spreta dignitate, agilliter ad sancta vestigia advolvitur, errori indulgentiam veniam reverenter expostulans, de cetero nec se tale quid vel leviter suspicari pollicetur. Nec hoc quoque apud beatum Rigomerum grave impetratu erat : totus quippe clementi bonitate exundabat, quocirca nulli eam denegare quibat. Siquidem remissionem, quam supplicabat 30 saepe libatus augustus, ei impendente, primum quidem in eodem vico ad recordationem sanctitatis Rigomeri basilicam miro aedificio cameratam instruxit; deinde, ex voluntate benedicti Innocentii, quem superius Cenomannis pontificatum regere adstipulavimus, bis binas villas utrique athletæ Domini suum ad fiscum pertinentes contradidit, novissime obnixè obsecrans ut pro se atque regni 35 stabilitate vel diuturna quiete totius boni conditorem jugiter exorarent, nativum ad solum reverti honorifice permisit. O te plane felicem omnique praeconio attollendum ac omni jubilo celebrandum, Rigomere sanctissime, merito prædicaverim; cujus invictæ præci, ad ostendendum immaculatum candidissimum florem virginitalis atque ad refellendas lutulentas falsidicorum nugas, concessum sit 40 rutilum caelici jubar luminis. Et quidem opportune nimis igne alendo operibus apum, quæ causa filiorum, ut physicis placet, cedere respuunt corporeæ immu-

nitati, pulcherrimae castitatis integritatem propalasti : sicuti enim ignis absque dispendio sui ex sese splendorem gignit atque apis sobolem inviolata virginitate concipit, ita nimirum, ita sacra virginitas sui pudoris sine diminutione, dum semper non pomposo mundo sed vero Deo complacere gestit, ipsi pignera verbo  
**5** et exemplo incessanter parturit. Verum interim vellem tanti celsitudinem portenti quoquomodo mente animadvertere, vellem cujus sit comparationis, nisi ariditas tenuis propediret ingenii, pensando ruminare. Namque quid super hoc sapientium industria conjectaverit ipsa viderit ; mihi nempe is qui tantum valuit, parvi nequaquam videtur meriti. Quotiescumque quippe sanctitatis illius beati calvi  
**10** vatis, qui igne e caelo impetrato bis quinquagenarium cum suo agmine stravit, in cujusve sepulcro exanimatum hominis cadaver revixit, reminiscor, et hujus nostri Rigomeri factum e regione contemlor : quoniam primum fecit \* [scilicet ignem e caelo impetravit], secundum [scilicet hominem suscitare], si necessitas incumberet, efficere posse certissime credo ; neque, quantum ad admirationem, primum  
**15** [id est ignem], referre a secundo [id est ab homine vivificato], immo, si dici fas sit, quantum hoc rarius, tanto mirabilius assentior. Cum namque quis mortuo spiritum redintegrat, id quod habuit procul dubio restaurat ; Rigomerus autem in hoc opere ineffabiliter exhibuit quod numquam illa materia continuit. Stupendum certe hoc, nihilominus et illud, et quod potissimum autemet definire pavit  
**20** at animus, utrumque vero aequae pensat in eo qui mirabiliter disponit omnia in omnibus. Inter haec sane, o sancta dulcedo, dum tua maxima revolve, meam imbecillitatem mihi que similium pertractans compungor, quoniam, si aliquid boni vel strictim incohaveo, ad tenuem cujuscumque objurgationis seu contemptus auram funditus reicio, ac si non speculetur Deus nisi quod ore celebratur hu  
**25** mano. At tu, signipotens, nequaquam talis : coeptum quippe opus bonum neque suspicione neque declamatione neque despectione omisisti, sed ad talum usque perduxisti, eoque modo quia nulla umquam virtus nisi provida patientia servari valeat assignasti. Quisquis ergo hanc vere victricem adipisci desiderat, ab eo a quo tu obtinuisti inhianter deposcat : nam qui aliunde quicquam utilitatis praestolatus fuerit, sese fallere quandoque pervidebit.

[VIII.] Jam vero ad supplendum propositum sermo redeat, quo citius perplexitati terminum indicat. Itaque, sicut praemisimus, regiis sanctis \* Domini, Rigomerus scilicet atque virgineus flos Thenestina, donati exeniis, valedicentes augusto, ad sua ocus sunt regressi. Paucis ergo post emensis diebus Thenestina beata sanctum  
**35** antistitem adiens Innocentium, indicat tota se aviditate sanctimonialium sitire religionem, nullatenus tamen praesumere attingere nisi ob summi sacerdotis sollemnem consecrationis orationem. Tum vir Dei, discretam puellae advertens industriam ac devotionem, pia exhortatione abunde delinitam consecrat. Deinde, exemplo tali, utpote providus pater, multas suo regi praesagens lucrari ejus  
**40** sexus personas, quo monasterium suae professioni idoneum penes Cinomannense oppidum, hinc muro, hinc amne a saecularibus secretum, conderet assignat. Quod felix capella libenter complexa, ecclesiam in honore Dei genitricis perpe-

\* quae hic uncinis inclusa sunt, adjecit alia manus in margine vel supra lineam.

\* sic.

tuaeque virginis Mariae miro comptam decore construxit, maximumque sacrarum  
feminarum coetum inibi aggressit; quibus, quousque advixit, quid sibi creden-  
dum, quidve sperandum, quid denique supra omnia diligendum existeret, sedule  
inculcavit.

**VIII**[I]. Praeceptorum nihilominus suo sanctissimo, eo in vico, qui Suliniacus 5  
censetur, uti cellulam erigeret, a praefato praesule litteris impetravit. Demum  
quoque, laudabili vitae explicito cursu, gaudia sempiterna Domini Dei sui subli-  
miter introivit. Rigomerus quoque venerandus, ad conficiendam illam quam sibi  
infulatus pontifex concesserat deificam aram penitus intentus, nec tamen exte- 10  
riore labore minuebatur Dei cultus, quin potius omni conamine quem diu arri-  
puerat augmentari decertabat, sciens inutile quod non exornat bonorum clausura  
operum. Siquidem, materialis dum paries incresecebat, quoscumque valebat,  
obsecrando, increpando, arguendo, Christo Domino incorporabat. Tandem porro  
aedificio ad votum peracto, religiosos quosque sibi fratres unire studuit atque eos  
tum justissimi exercitii exemplo tum sacrae ammonitionis verbo tumentia deprae- 15  
dantis saeculi molimina funditus a corde abigere, caelestia vero omni instantia  
expetere, infatigabiliter edocuit. Reliquum autem procinctus sui spatium quis  
umquam levi disputatione annotare poterit quam sancte, quam juste, quam pie  
peregert? Omne etenim quodcumque sui juris extitit, jugi subministratione hila- 20  
riter indigentibus erogavit. Et corpusculum quidem sanctum ejus perenni casti-  
gatione famis, vigiliarum, imbribus lacrimarum, densitate singultuum, continua-  
tione orationum affliciebatur; animus vero illud Davidicum: *Quando veniam et  
apparebo ante faciem Dei?* exspectando in superis elevabat. Igitur quo ejus  
intima paulatim attingamus, nostra nequaquam conjectura ea ad medium sunt  
documenta digerenda, quibus qui extorris convictus fuerit beatus nullo modo 25  
esse quibit. Sunt quippe hujusmodi: *Si quis Dei cultor est et voluntatem ejus  
facit, hunc exaudit, peccatores autem disperdet*; et: *Deus superbis resi-  
stit, humilibus vero dat gratiam*; et: *Omnis qui caste vivit, templum est  
Dei, qui vero Dei templum violaverit, ipse eum disperdet*; et: *Qui voluerit  
esse amicus hujus saeculi, inimicus constituetur Dei*; atque: *Videte ne 30  
graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis hujus vitae*; et:  
*Vigilate et orate, ne intretis in temptationem*; et: *Obedire oportet Deo  
magis quam hominibus*; et: *Beati qui persecutionem patiuntur propter  
justitiam, quoniam ipsorum est regnum caelorum*; aliaque quam multa,  
sine quibus perfectio non adipiscitur beata. Quod si haec ita se habent, immo 35  
quia ita, et Rigomerum nostrum beatum fore miracula praelibata testantur, quod  
ipse persecutionem propter justitiam sit passus, quod Deo obedierit, quod propter  
phantasticas temptationes oraverit et vigilaverit, quod sollicitudinem vitae noci-  
vam non habuerit, quod sobrietatem cum frugalitate sectatus sit, quod amicus  
Dei et hostis saeculi esse voluerit, quod caste vixerit, quod humilis exsecransque 40  
superbiam exstiterit, quod justus, quod Dei cultor et voluntatis ejus effector  
fuerit. Hinc colligere verissime valemus quod eum in talibus et pro talibus rebus  
misericordissimus semper exaudierit Deus.

[X.] Cum igitur tot laborum exercitiis nitidum agnus spiritum cerneret undique bene limatum ac elutum : *Jam*, inquit, *transito hieme, siccato imbre, apparentibus floribus, emittentibus floridis vineis odorem suum, quoniam tota pulchra es, filia principis, tota pulchra, surge, propera* \*, *amica mea,*  
 5 *speciosa mea, columba mea, formosa mea, et veni.* Ad haec sponsa, dilecti odoratis blanditiis, quem votis jam dudum liquefacta quaerendo per vicos et plateas requisierat sed non invenerat : *Dilecte mi*, ait, *dilecte mi, electe ex millibus, trahe me post te, in promptuaria tua introduce me : nam quia totus es desiderabilis, vulnerasti cor meum, vulnerasti caritate ; en ego languo,*  
 10 *languo amore.* Interea, quo maturior foret sponsi sponsaeque praeoptata connexio, corporeae exuviae levi feriuntur incommodo, casumque sui minitantes mox futurum praesignant omnino ; nec tamen solitum divinae majestatis ministerium linquitur ullo modo. Citatur \* interim, dum conquassatum cadaver ac funeri contiguum appeteret messionem, atque fragilitati cedere dedignans victor animus  
 15 illud cogeret ad laborem. Tandem adest retributor piissimus, utque ad superos evolet innuit sacer omnique materiali decore pulchrior Spiritus. Ejus autem nutu nono kalendarum septembrium die, corporeo posito onere, angelico regimine evehitur in aethere, felix felicis perpetua fruiturus Elysei amoenitate. Sacratae nempe Rigomeri sacer[dotis exim]ii exequiae devotissime ab omni clero necne et  
 20 populo, uti decebat, celebratae sunt illo quo cellam confecerat suam praedio, cum multo tripudio, quoniam nullus ambigebat sanctorum eum adscitum numero vereque perenniter vivere in Christo.

\* cod.  
prospera.\* cod.  
Cetatur.

Haec igitur ad laudem summae et individuae Trinitatis pauculis grammulis pro brevitate peritiae de sacro ortu, miraculis, actuque ac vitae tuae termino, non  
 25 ut volui, sed, caritate tua strictus, Rigomere pater sanctissime, ut potui decerpsi. Tu vero, quia pius es, praesumptivo affectui meo pie parce, omnibusque te venerantibus et invocantibus propria benignitate succurre, quo per te apud Dominum peccatorum suorum indulgentiam consequantur celerrime : cui est honor et aeterna potestas et nunc et in aeternitatis die. Amen. Nos ergo jam hic metam  
 30 figamus dicendi, ne interminata perplexitate cum sui etiam rusticitate abigamus animum captantis haec indagare amore patroni.

---



---

### CD. Codex signatus num. 5595.

Olim Colbertinus 5426, deinde Regius 4427. 3. 3. A.

Foliorum 89, min. (0<sup>m</sup>, 215 × 0,175), lineis plenis, exaratus saec. XI.

#### 1<sup>o</sup> Vita et actus atque obitus beati Remigii Remorum archipontificis (fol. 1<sup>r</sup>-69<sup>r</sup>).\*

Auctore Hincmaro. — Sequitur (fol. 69<sup>r</sup>-81<sup>r</sup>) ejusdem Hincmari encomium



S. Remigii (ed. P. L., tom. CXXV, p. 1187-98); et deinde (fol. 86<sup>v</sup>-96<sup>v</sup>), officium S. Remigii notis musicis insignitum.

2<sup>o</sup> De sancto Vedasto (fol. 87<sup>r</sup>-87<sup>v</sup>).

Lectiones tres, excerptae e Vita breviori, ed. Act. SS., ad d. 6 Febr., tom. I, p. 792-94, scilicet a fine num. 1 (*Venerandi ergo viri Vedasti...*) usque ad initium num. 4 (... *omnemque religionis censuram exemplo monstrabat et verbis studebat et docebat*).

3<sup>o</sup> De sancto Hilario episcopo (fol. 89<sup>r</sup>-89<sup>v</sup>).

Item lectiones tres, excerptae e Vita S. Hilarii auctore Fortunato, scilicet (ed. Act. SS.) num. 3-5.

CDI. Codex signatus num. 5596.

Olim Colbertinus 432, deinde Regius C. 4432. 5.

Foliorum 174, min. (0<sup>m</sup>, 215 × 0,15), lineis plenis, exaratus saec. IX.

1<sup>o</sup> Vita sancti ac beatissimi Remeldii [seu Remigii Remensis episcopi] (fol. 1<sup>v</sup>-8<sup>v</sup>).\*

Auctore Fortunato.

2<sup>o</sup> Transitus sancti Martini (fol. 169<sup>v</sup>-174<sup>r</sup>).\*

Scilicet pars posterior epistolae Sulpicii Severi ad Bassulam (*Martinus igitur obitum suum...*).

CDII. Codex signatus num. 5597.

Olim Regius C. 4438.

E diversis codicillis compactus, quorum primus tantum membraneus est, foliorum sex, min. (0<sup>m</sup>, 215 × 0,15), lineis plenis, exaratus saec. XII; secundus, chartaceus, foliorum 24, min. (0<sup>m</sup>, 20 × 0,15), lineis plenis, exaratus saec. XV. Reliqui (a fol. 31) saeculo XV posteriores sunt.

1<sup>o</sup> Vita beatissimi Leonardi confessoris Christi (fol. 1<sup>r</sup>-5<sup>r</sup>).\*

2<sup>o</sup> Vita beati Paphnutii (fol. 7<sup>r</sup>-12<sup>v</sup>).

Scilicet *Historiae monachorum*, auctore Rufino, cap. 16 (P. L., tom. XXI, p. 433-39). Mutila desinit in verbis *divinae sapientiae studiis permanebat*.